mus, ut & ipſi ſubditos noſtros undique conſervantes, & juramentorum quæ præſtare ſolent, memores, ipſis hanc nobis factis remunerationem reddant.

† Atque hanc ſane præſentem legem habebit quidem legum volumen, ſed thronus tuus ſuſceptam eam & memoriæ mandatam perpetuo conſervet in opere. † Oportet autem prætori Thraciæ annonarum, capituum, & reliqui ſolatii nomine præberi, ſolidos CCC. ejus adſeſſori, ſolidos LXXII. ejus cohorti, aureos LII. Occaſione vero codicillorum præbere oportet eum ſic: ſpectabilibus tribus chartulariis ſacri cubiculi, ſolidos IX. primicero clariſſimorum tribunorum notariorum, & laterculenſibus, ſolidos XXIV. cohorti glorioſiſſimorum præfectorum pro juſſionibus & omni alia cauſa, ſolidos XL [1].

TIT. VI.
DE [2] COMITE [3] ISAURIÆ [4].
NOVELLA CONSTIT. XXVII.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

Quod quibuſdam ante nos imperatoribus, ut in Iſaurorum regione facerent, per imaginem & figuram in mentem venit, id nos re ipſa jam per ipſam operum efficaciam tam in Galatia [5] prima, quam Pacatiana [6] Phrygia confecimus, *Vicarii officio* (ut prius appellabatur) cum civili adunato, & una utrinque cohorte conſtituta, & ipſis (ut oportuit) exornatis, neque non utrique pro vetere appellatione *Comitis* nomine impoſito: ut ille quidem *comes Galatiæ primæ* nuncupetur; is vero nominetur *comes Pacatianæ Phrygiæ*, utrumque horum ipſorum noſtro comitante cognomine.

CAP. I.

Idemque hoc & in Iſaurorum provincia præcipimus. Neque enim volumus, ut qui de cætero in hoc conſiſtit officio, duplicibus utatur codicillis, & *ſumat quidem civilis officii appellationem, ſumat vero etiam militaris poteſtatis ſigna* [7], & duplex nomen circumferat, cum res plane ſit eadem: ſed jam inde ut unitum officium habeat, ſtatuimus, quod ipſum & armis provideat, & publica in ſe recipiat, omnia ſub ſe continens, & una cohorte utens, quæ *Comitiana* [8] appelletur: & ſuæ militiæ probatorias ferat ex ſacro libellorum ſcrinio. † Obveniat autem omnino & is magiſtratus gratis, neque quidquam exhibebit numerabitve pecuniæ. Et ut ipſe quoque puris utatur manibus, quemadmodum reliqui, ad ipſum nuper a nobis editam legem tranſmiſimus. † Sed præter codicillos, qui & ipſum inter ſpectabiles adſcripſerunt, dabimus ei ſacra etiam præcepta, quæ Mandata [9] principis *a veteribus nuncupantur, & a nobis rurſus in rempubl. ſunt illata*, ex quibus intelliget quæ ſingulatim ad ejus pertineant ſollicitudinem, tam in publicis omnibus, quam privatis contractibus, quidquid præterea venuſtum & decorum eſt, ne quid fiſcus ſentiat diſpendii, & ſimpliciter quæcunque ipſum facere convenit, ex iis illi manifeſta fient.

CAP. II.

Hoc unum ſciat, quod & ipſe inter *Spectabiles* magiſtratus collocatus eſt, & appellationes apud illum interpoſitas glorioſiſſimorum ſacrorum noſtrorum prætoriorum Præfecti, tum etiam glorioſiſſimus Quæſtor noſter, audient, quemadmodum & Auguſtalis, & Proconſulis, & trium Prætorum nuper a nobis in Piſidia [10], Lycaonia [11], Thracia [12], inſtitutorum, & *Comitis Orientis* [13], & inſuper Comitis Pacatianæ [14] Phrygiæ & Galatiæ [15] primæ. † Quod ſi qua in Iſauria cauſa minor quingentis aureis ſit, & poſtea per provocationem ſuſpendatur, huic & ipſe audientiam accommodabit, *in forma ſacrorum auditoriorum.* Nam & hoc illi concedimus, dignitatis illi pleniorem magiſtratum in hac etiam parte efficientes.

EPILOGUS.

† Tua igitur excellentia ad prædictorum magiſtratuum imitationem, ea quoque quæ hunc concernunt, conſtituat. † Subjiciemus enim & deſcriptionem huic noſtræ legi, declarantes quid ipſum cohortemque ejus, & ejus adſeſſorem ex publico ferre, quid item nomine codicillorum magiſtratus dare conveniat. † Ac noverint qui hoſce a nobis nuper ad novam pulchritudinem redactos magiſtratus ſuſcipiunt, quod & pecunias, quæ continue pro officiis offerebantur, omnino recuſare, & quæ non provenerant, de noſtro tam ipſis quam ipſorum adſeſſoribus dare, & cohortibus largiri, quæ ab aliis ablata erant, & ipſis præſidibus majora adſignare ſolatia ſuſtinuimus, in hoc tantum, ut undique ſubditos noſtros immunes a diſpendiis conſervemus. † Quod ſi quos vicinarum illi provinciarum præſides negligentius agere circa tributa publica deprehendas: non alium emittes, ſed ipſos ſpectabiles magiſtratus fatigabis, ut vicinarum provinciarum præſidibus ſi ſocordiæ ſe tradant, immineant: & efficiant, ut omnibus hæc modis inferant, quo magiſtratus multo pulchrior ſit & præſtantior, quam dudum.

Oportet Iſauriæ comiti pro annonis præſtari ſolidos CC. ejus adſeſſori, ſol. LXXII. cohorti ejus, aureos LII. Oportet item ipſum præbere occaſione codicillorum ſic: Spectabilibus tribus chartulariis ſacri cubiculi, ſolidos LX. primicerio clariſſimorum tribunorum notariorum & laterculenſibus, ſol. XXIV. cohorti glorioſiſſimorum præfectorum pro juſſionibus, & omni cauſa, ſolidos XL. [16]

TIT. VII.
DE [17] MODERATORE [18] HELENOPONTI.
NOVELLA CONSTIT. XXVIII.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni præfecto prætorio.

PRÆFATIO.

Quod pulchre & longo ante tempore concinnatum adunatumque & in ſua jam firmitate compoſitum extitit: id ſane novare aut dividere abſque rationabili cauſa, confirmati validique imperii non eſt. Neque enim in verborum [19] multitudine, ſed in vero & juſto rerum effectu robur imperii collocandum eſt. Et tamen circa duos [20] illos (ut vocant) Pontos, nempe *Helenopontum* [21] & *Pontum Polemoniacum*, tale quiddam factum eſſe didicimus. Cum enim ſub unum antea præſidem ordinata eſſet provincia, duo conſtituti ſunt, neque [22] publica id neceſſitate exigente: neque alio aliquo rationabili prætextu ſubſiſtente, quem expedite aliquis & facile inveniat. Adeoque amplum ejus facti teſtimonium res ipſa præbet, quum in hodiernum uſque diem uno tantum publicorum tributorum & diſpoſitionum tractatore utraque utatur provincia. Ac ſi quis urbes quæ per utramque ſunt enumeret, vix unius provinciæ juſta & ſufficiens menſura reddet, hoc modo *Helenopontum* quidem octo [23] urbes implent, hoc eſt Amaſia, Ibora, Euchaita, inſuper & Zela, & Andrapa, & quæ ad climacas hoc eſt gradus, ſitæ ſunt, Sinopa, & Amiſus, antiquæ urbes, ſed & Leontopolis, quæ & ipſa jam inter urbes numeratur: aliæ vero quinque Polemoniacum [24] Pontum continent: Neocæſarea, & Commana, Trapezus, & Ceraſus, & Polemonium: Pityus enim & Sebaſtopolis inter caſtra potius quam urbes numerandæ ſunt: ut intra hoſce terminos utraque Pontus conſiſtat. † Poſt quos tam noſtra conſtituta eſt *Lazica*, in qua urbs Petræon eſt, quæ noſtro beneficio & eſſe & nominari urbs cœpit, quam quæ noſtræ pietatis nomine utitur, & *Juſtinianea* appellatur. Archæopolis quoque & Rhodopolis, maxima & antiqua caſtra: in quibus plane etiam ea caſtra ſunt, quæ nos a Perſis recepimus. Scandis & Sarapanis & Muriſius ac Luſiris & ſi quid aliud præterea a nobis in Lazis elaboratum eſt. † Hanc deinde *Tzanorum* [25] regio excipit, ſub noſtro nunc primum imperio Romanorum ditioni adjuncta: quæ & ipſa urbes partim nuper factas ſuſcipit, partim mox futuras ſuſcipiet.

† Poſt iſtam aliæ item gentes conſiſtunt, Suani, & Scymni, & Apſilæ, & Abaſgi, & aliæ, quæ omnes (permittente Deo) vel noſtræ, vel ſociæ ſunt.

CAP. I.

Sed ad iſta quidem nos de his locis inſtituta oratio deduxit, nunc autem denuo ad Pontos & illorum unitionem revertamur. Ambos [26] enim illos Pontos, tredecim comprehenſos urbibus, iterum nunc in unam provinciam contrahimus, aſſignamuſque ipſis tam veterem unitionem, quam modernam appellationem. Namque ab omnibus *Helenopontus* nuncupatur: quod illi nomen [27] a pientiſſimo principe Conſtantino impoſitum eſt, occaſione honeſtiſſimæ ſuæ matris, Helenæ ſcilicet pientiſſimæ mulieris, quæ nobis etiam ſacrum Chriſtianorum ſignum [28] invenit. Vetus enim illud nomen *Polemonis*, quo plerique in Ponto tyranni uſi fuerunt, dehinc quieſcito: primum, quia [29] tyranni extitit: ſecundo, quia urbem de ſuo nomine appellatam habent, ſcilicet Polemonium: tum etiam, quia pulchrius [30] fuerit, regiones Chriſtianorum & regum nominibus deſignare, quam his quæ polemi, hoc eſt belli, & tumultus præ ſe notionem ferunt.

CAP. II.

Omnes autem illæ tredecim urbes unius ſunto provinciæ, ut tamen neque [31] alterutri in ſe metropoli (Amaſiæ [32] ſcilicet & Neocæſareæ [33]) metropolis [34] nomen detrahatur: & Dei amantes earum epiſcopi, metropolitani [35] quidem in [36] ſua urbe: qui vero ſub metropolitanis collocati ſunt, ab his qui metropoles ſub ſe habent (ut hactenus in more fuit) ordinentur, nihil enim circa ſacerdotium illarum innovamus, [illegible] Dei amantiſſimos epiſcopos in ſua etiam provincia exiſtere, [illegible] quod per nos modo exornatur, noverit. Et imperio quidem inducitur illis unus univerſæ provinciæ præſes, cognomento *Moderator* [37], quem quis vulgari lingua [illegible] toris nomen [illegible] *Harmoſten* [38] quidem olim magiſtratus erat, qui e Lacedæmone hinc inde per omnem ejus ditionem dirigebatur.

CAP. III.

Unde qui id officium ſuſcipit, *Moderator Juſtinianeus Helenoponti* nominator: obtemperantque illi per eam provinciam diſpoſitæ agentes militares copiæ. † Habeto etiam Adreſponſum [39], cujuſcunque [40] conditionis homines, omnes ſe illi ſubmittunto ſine illa prærogativa præjudicii. † Audientiam quoque præbeto in cauſis tam pecuniariis quam criminalibus, & aliis minimis quidem, ſine ſcripto & gratis: majoribus vero, licet ſcriptis intervenientibus, eo tamen ſumptu quem ſacra noſtra poſt hæc præſcribit conſtitutio. Item quod licet magiſtratus, is utriuſque officii annonas ferto, ſurgentes uſque in ſeptingentos triginta tiquinque aureos, unaque utitur cohorte, & publicorum tributorum decurſio & periculum idem & commune ſit: cujus etiam cohortis officium [illegible] per cauſas quando ſaltem [illegible] & ipſa in unam ex ibit formam, quam contra cohortem, quandoquidem & ipſa in unam ex ibit formam, & inter ſe conglutinabitur, quemadmodum is ordinaverit qui ſupra provinciam poſitus eſt [41]. ejus & publico aureos [41] capiet: & cohors ex ambabus prioribus ginta duos ex publico aureos

1 Dat. 15. Kal. Junii Beliſ. V. C. *Julian.*

2 Præſidem vocat *Nov.* 20. *c.* 4. 3 6. *Eclog.* 10. De officio prætoris Iſauriæ, & de appellationibus in eadem provincia porrectis, vid. Jul. *conſtit.* 20. 4 De Iſauria vid. Ammianum 14. & de Iſauriæ criminibus. 5 *Nov.* 8. *c.* 3. *Nov.* 24. *cap.* 4. 6 *d. Nov. cap.* 2. & *d. cap.* 4. 7 Inſignia, *Jul.* 8 Cohors comitiana, *ut hic:* apparitio comitiana. 9 *Novell.* 17. 10 *Novell.* 24. 11 *Novell.* 25. 12 *Novell.* 26. 13 *Novell.* 8. *c.* 5. 14 *Novell.* 8. *c.* 2. 15 *Novell.* 8. *c.* 3. 16 Dat. 15. Kal. Jun. Beliſ. V. Coſ. Julian.

17 Præſidem vocat *Nov.* 8. *c.* 15. §. 26. 18 Περὶ τȣ̃ μοδεράτωρος τȣτέςιν ἁρμοςȣ̃ ἑλενοπόντȣ. 6. *Eclog.* 11. *de offic. moderatoris utriusque Ponti*, id eſt, *Helenoponti*, Jul. *conſt.* 27. 19 Imperii robur non conſiſtit ἐν ὀνομάτων πλήθει ἀλλ' ἐν ἀληθείᾳ πραγμάτων, id eſt, non conſiſtit in verbis, ſed in agendo. 20 Duæ provinciæ Helenopontus & Pontus Polemoniacus hac conſtitutione uniuntur. 21 Pontus duplex, Helenopontus & Pontus Polemoniacus. 22 Reprehendit partitionem illam Conſtantinianam, cujus meminit Zoſimus *lib.* 2. 23 Octo urbes in Helenoponto. 24 Pontus Polemoniacus quinque urbes habuit. vid. *l. ult. Cod. de offic. magiſtri mil.* 25 De quibus dixi ad *Novell.* 1. *ſupr. hoc.* 26 Ut duorum Pontorum unus ſit præſes, moderatoris appellatione decorandus. 27 Helenopontus unde dictus. 28 Id eſt, lignum crucis Domini. [illegible] 29 Tyranni nomen fugiendum. 30 Pulchra nomina [illegible] 31 In una provincia plerumque duæ metropoles [illegible] *C. de metropoli Beryto.* [illegible] 33 Neocæſarea, metropolis Ponti Polemoniaci. 34 [illegible] 35 Epiſcopi metropolitani, epiſcopi metropoleon. 36 Ut Amaſiæ & Neocæſareæ civitatum Epiſcopi, in Conſtantinopolitana civitate conſecrentur. 37 Moderator Helenoponti. 38 Harmoſtes quis: hujus etiam meminit [illegible] *in fin. Nov.* 26. *c.* 2. §. 1. 39 [illegible] 40 [illegible] 41 Solidos. Jul.

una facta, quadringentos quadraginta ſeptem aureos feret, & tremiſſem.

CAP. IV.

Inſuper [1] qui hoc fungitur officio, neque Vicarios [2] in locum ſuum per urbes dimittet: (obſervabitur enim & id quemadmodum in ſacris noſtris continetur mandatis) ſed ipſe oberrando urbes luſtrabit, nulla omnino lege aut ſacra forte pragmatica forma prohibendus, tametſi præcedens tempus tale quid juſſerit. † Stativaque [3] aget [4] ubicunque illi viſum fuerit, vel in una metropoleon, vel in aliis urbibus, ſi modo ad ejus ſuſtentationem urbs per omnia ſufficit. † Sordium ipſe & lucri abſtinens, omniaque citra incolarum diſpendium gerens. Nam neque ipſe, neque cohortalis, neque miles ipſum comitatus a collatoribus aliquid capiet, aut gratis ſumptum faciet, aut etiam collatores noſtros vel ipſe atteret, aut comitantes ipſum milites hoc ipſum agere permittet, hoc etenim & ipſum pars eſt noſtrorum mandatorum. † Ipſe certe ſacramenti [5] memor quod præſtitit, & quod *gratis officium ſuſcipit*, quodque tam magnum annonarum incrementum meruit, nunquam quidquam auſit accipere, niſi magna id cum pœna velit reſtituere: neque ut cohors per ejuſmodi occaſionem tale quid vel exigat, vel oblatum accipiat permittens. Et niſi procuraverit, ut milites ipſum annonis ſuis contenti ſequantur, neque ipſe juſtam indignationem effugiet, irrogatumque ab ipſis damnum compelletur ex eorum annonis exigere, & hoc collatoribus ſarcire. §. 1. Propterea certe majores hoſce magiſtratus auctoritatiſque pleniores tam [6] multitudine apparitorum (centum enim illum cohortales habere volumus) quam dignitatis magnitudine [7] (ſiquidem ſpectabilem illi magiſtratum efficimus) eſſe volumus, ut neceſſitatis tempore amplioribus utamur magiſtratibus: & qui noſtris ſubſervire poſſint juſſionibus. Quid enim facerent hi qui vetere forma præfuerunt provinciis, qui cum paucos circa ſe haberent, pauciſſimis ipſi imperitabant, modicaque admodum ferentes e publico, plurima dantes, rapere cogebantur, & unum hoc habere ſtudio, ut ſequentibus & undique ipſis imminentibus creditoribus occaſione pro officio datorum nonnihil gratiæ referrent & beneficii? Quibus rebus noſtros conſueverunt auctionari ſubditos, impios juxta & periculi plenos ſibi reditus conquirentes.

§. 2. Harum nos rerum indignitas permovit, ut non ſolum exinde provenientibus lucris [8] renunciaremus, ſed & de noſtro magnos inſuper ſuſtineremus ſumptus: & ſi quibus ſpecies aliqua magiſtratus interveniente pretio a deceſſoribus noſtris tradita eſſet, adhibita id medicina curaremus, atque hoc genere tributi collatores noſtros redderemus liberos, & officia ſuſcipientibus de noſtro ſolatium introduceremus, quo magis hos quoque libertatis participes efficeremus. Siquidem in parato nobis eſt, Deo, (ut apparet) talia largiente, ut non ſolum Afros, & quæ ibidem gentes ſunt libertate donemus, ſed etiam ut eos, de quibus in meditullio quodammodo noſtræ reipublicæ ſingulis ferme annis nova auctio inſtituebatur, neque tamen dabatur ſub eodem manere *cauponatore, ſed per modica intervalla nunc hujus, nunc illius poteſtati ſubdebantur*, hujuſmodi diſpendio & turpitudine liberemus. Hanc nos gratiam Deo referendam putavimus, qui Imperii nobis coronam impoſuit, qui communi omnium calculo per patrem noſtrum purpuram nobis donavit, qui denique tot tantaſque in nos liberalitates explicuit, quantas nulli majorum noſtrorum unquam dedit.

CAP. V.

Oportet igitur, ut qui ad hoc officii accedit, ſciens prudenſque quam multis hominibus, quam multis præſideat urbibus, quam venerandus item futurus ſit, mutata dignitatis forma ex Conſulari & Correctoria in majorem magiſtratum & ſpectabilem, per omnia ſubditis parcat, & indemnes ipſos tueatur, puris etiam ubique utatur manibus, & publicum augeat, ad ejuſque commoda omnem referat providentiam: privatim quoque ſordibus [9] & muneribus abſtineat: & civitatibus publice ſimul & privatim ſua jura decernat, oberrando eas perluſtret, & medeatur, nihil lucri cauſa faciat: neque parvum neque magnum, ſed bonum & memorabile nomen appetat, & diligenter, ſancteque per omnia datum juſjurandum obſervet, in omnibus denique gratioſum ſe nobis exhibeat.

§. 1. *Cavebit vero etiam, ut quod præcipue in Ponto committi ſolet, ejus rei cuipiam facultatem det, ut nempe titulos* [10] *imponat prædiis*, vel alienis ædibus, ſiquidem hoc [11] ſolummodo fiſci proprium eſt, & regiarum domuum tam noſtrarum quam pientiſſimæ Auguſtæ. Si vero ſub alterius appellatione tabulas ſive titulos impoſitos deprehendat, tam ipſas protinus detrahet [12], quam eum qui illas affixerit, perveſtigabit. At ſiquidem is qui ſe rei dominum eſſe dicit, hoc fuerit, extemplo illius [13] rebus publicos imponet titulos, prius his titulis, quos ipſe appoſuit, ad [14] caput ejus impactis confractiſque. Si vero alienarum rerum procurator fuerit, tam titulos (ut diximus) ad [15] ejus caput confringet: quam modicis [16] etiam tormentis eum ſubjiciet, quo magis hæc perdiſcens *is cujus cauſa id factum fuerit, cognoſcat*, quod neque ipſe per ſe, neque per certos ſatellites, aut per eos qui in hoc aſſumuntur, ut explendæ ejus avaritiæ ſatagant, ſubditos injuriis afficere liceat.

CAP. VI.

Conſimiliter oportet, ut ipſe ſpectabilis Moderator latrocinia exercentes, & habendi ſtudio alios defraudantes, mulieres denique, bona, jumenta, & ejus generis alia rapientes, reprimat, quo incontaminatum jus conſervet, & nos recte hoc videamur cepiſſe conſilii: neque quibuſdam per provinciam graſſantibus, ipſis vero ejus facti vindictam non repetentibus, pœnitentia nos inceſſat, quod latrunculatores & violentiarum repreſſores ceſſare fecerimus [17]: propterea enim illi etiam milites ſubmiſimus, ut illorum manu inſtructus, difficilius queat ab inſultantibus expugnari.

CAP. VII.

Hæc nos illi ſtrictim & ſub compendio commendata eſſe volumus. Nam quæ per partes gerenda ſunt, ea manifeſte perſpiciet tam ex lege, quam [18] cum magiſtratus ordinaremus, in commune omnibus deſcripſimus, quam ex mandatis principalibus, quibus illi datis explanabimus quomodo magiſtratum diſponet tractabitque. Atque hæc agens, non ſolum nobis ingratus non erit, ſed etiam Deo ſimul ac nobis animam ſuam devovebit, & pro magiſtratu denique bene geſto bonam remunerationis ſpem concipiet. † Subjicietur autem & quædam recenſio [19] huic ſacræ noſtræ legi, per quam clarum fiet, quid ipſum, & adſeſſorem, cohortemque ejus ex publico percipere, quid item ipſum pro codicillis magiſtratus præbere conveniat: ut edoctus quanta in ipſum conferatur liberalitas, & ad quantam moderationem impenſa pro codicillis ab ipſo facienda redacta ſit, rebus ut æquum eſt & recte utatur, majorum inſuper gentium & plurium hominum imperium ſperans, ſi his quæ in manibus habebit, convenienter utetur.

CAP. VIII.

Porro damus huic quoque, ut appellationes [20] in ſpectabilium magiſtratuum forma ab ipſo huc tranſmiſſæ, tam apud glorioſiſſimos præfectos, quam glorioſiſſimum noſtrum quæſtorem vice ſacræ conſultationis diſceptentur. At ſi quæ cauſæ minores quingentis aureis apud aliquos in ſua provincia motæ, (tametſi ex delegatione forte) non tamen apud ſpectabilem actæ per provocationem ſuſpendantur, tunc & in hoc gravior venerabiliorque factus, augmenti a nobis in ipſum collati meminerit, & ita in rebus gerendis verſetur, ut omnibus ſubditis & nobis ipſis & ante nos Deo ſimul ac legi irreprehenſibilem ſe præbeat.

EPILOGUS.

† Hæc igitur omnia pernoſcens excellentia tua, & tam magnas illi annonas addat, & ita ample eum dignitatis effectum ſciat, ut floris & dignitatis jam nunc a nobis illi traditæ cupiditate multis hunc conſequi merito affectabile ſit [21].

TIT. VIII.
DE PRÆTORE [22] PAPHLAGONIÆ.
NOVELLA CONSTIT. XXIX.

Imp. Juſtin. Aug. Joanni præfecto prætorio.

PRÆFATIO.

Paphlagonum gens & antiqua, neque ignobilis olim extitit: in tantum quidem, ut & magnas colonias deduxerit; & ſedes in Venetiis [23] Italorum fixerit, in quibus & Aquileia omnium ſub occidentem urbium maxima [24], & quæ multoties cum ipſis etiam regiis certamen ſuſceperit, condita fuit.

CAP. I.

Hanc ſane Paphlagonum gentem Honorii pientiſſimi principis temporibus diminutionem paſſam, & aliquot amiſſis urbibus nulla utili de cauſa veteris illius contentionis & rigoris remiſſionem amplexam, nos denuo ad priſtinam formam reducendam eſſe, ipſam quoque Paphlagoniam ad inſtar unius civitatis redigendam, & quæ in duobus jam Pontis [25] fecimus, eadem putavimus & in ipſa conſtituenda: ut qui harum gentium adunatum imperium, & unum ex duobus prioribus, nempe Paphlagoniæ & Honoriadis) factum tenet, is prætor nuncupetur (quod nomen & ipſum Romanum eſt, & provinciarum rectoribus accommodatum) & una utatur cohorte ex duabus prioribus conglutinata, quam & centum virorum numerus ſupplebit. Imminebit autem omnino hic quoque tributis [26] publicis exigendis, tam quæ Paphlagones, quam quæ Honoriadis olim incolæ pendebant. Præterea omnibus ex æquo urbibus provideat, quas utraque prius habuit provincia, hoc eſt in Honoriade quidem, Pruſiadi, Cratiæ, Hadrianopoli, Tio, Claudiopoli, & Heracleæ. Tametſi enim ex ipſis quædam, ut Pruſias [27], Heraclea, & ipſa provinciæ metropolis & caput, Claudiopolis [28] ſcilicet ex Bithynia prius illi aſſumptæ ſunt, tamen ex quo ſemel eo tranſmigrarunt, magnæ curioſitatis [29] eſſe putavimus, denuo ipſas ad Bithynos reducere, & formam perturbare veterem. Unde hæ ſelectæ urbes, & in Honoriade prius exiſtentes, erunt jam nunc & ipſæ pars Paphlagoniæ. Inter ipſos vero Paphlagonas juriſdictionem habebit in alias ſex urbes, quæ jam inde ab initio ad eam provinciam pertinent, nempe Germanicopolim, Gangram [30], Pompejopolim [31], Dadybros, tumulos Amaſtridis [32], & inſuper Jonopolim. Et duodecim omnino totius provinciæ urbes erunt quantum ad præſens inſtitutum. Cæterum circa ſacerdotia nihil innovamus, ſed Metropolitani qui olim ſacerdotia hic ſuſcipiebant, tam in eodem manebunt ordine, ipſorum ordinatione quoad locum non mutanda, ſed ab hujus almæ urbis beatiſſimis Patriarchis ordinandi, quam quos ſub ſe poſitos hactenus ordinarunt, eos & nunc ordinantes, non de illis inter ſe diſſideant.

1 Jul. *c.* 105. 2 Τοποτηρητάς. *Scrimg.* 3 Stativa ὑποδοχὴν appellant Græci. *Scrimg.* domicilium, *ſa demeure & ſa reſidence.* 4 Id eſt, morabitur. 5 De quo vide *Nov.* 8. 6 Magiſtratus eo honoratior, quo titulum habet digniorem, & majorem cohortalium numerum. 7 Moderatoris honorem habentes inter ſpectabiles ſunt judices. Jul. *c.* 150. 8 Turpia lucra bonus princeps non admittit. Caligula ex captura proſtitutarum redigebat, quantum quæque uno concubitu meruiſſet, Sueton. *in Calig.* 40. contra quam Alexander Severus, qui lenonum vectigal meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit, quanquam ſumptibus publicis ad inſtaurationem theatri, circi, amphitheatri & ærarii id deputaſſe dicitur, Lampridius *in Alexandro Severo.* Veſpaſianus ex lotio. Sueton. *in Veſpaſ.* 23. alius ex umbra, *Plin.* 2. Michaël Paphlago pro aëre ὑπὲρ ἀερικȣ̃, id eſt, ſpiritu aërio ac cœlo vectigal exegit, *Cedren.* hinc apud Harmen. *lib.* 1. *tit.* 4. *c.* 47. περὶ ζημιῶν ἀερικῶν (quanquam ibi legitur ζητȣμένων) & Peſcenninus Niger *apud Spartianum.* vos terras veſtras levari cenſitione vultis, ego vero aërem veſtrum cenſere vellem. Procopius tamen ἀερικῶν interpreatur φορὰν ὥσπερ ἐξ ἀέρος φερομένην, id eſt, novam exactionem & de cœlo excogitatam. vide Cujac. 10. *obſ.* 7. 9 *l.* 6. §. 3. *ff. de off. proconſ.* 10 *Nov.* 17. *c.* 15. 11 Titulos imponere ruſticis prædiis vel ædibus alienis, fiſci vel Cæſaris tantum proprium eſt. Jul. *cap.* 106. 12 Dixi ad *l.* 2. *Cod. ut nemo privat. l.* 1. *C. ut nem. liceat ſine judicis autor.* adde *Novell.* 29. *c.* 4. 13 *d. c.* 15. 14 Εἰς κεφαλὴν αὐτȣ̃ περιῤῥήξας. 15 Κατεάξει κατὰ τῆς αὐτȣ̃ κεφαλῆς. 16 Πικρῶς, id eſt, acerbiſſimis. Jul. 17 *Nov.* 8. *c.* 13. 18 *Novell.* 8. 19 Κατάλογος, deſcriptio, quæ & alibi ἀπογραφὴ, ac notitia: ſed & λόγος dicitur. 20 De provocationibus moderatori Helenoponti porrigendis, ut eadem illi moderatores teneant jura, quæ alii ſpectabiles, de quibus ſuperioribus Nov. dictum. 21 Dat. 25. Kal. Auguſt. Conſtant. Beliſ. V. C. *Jul.* id eſt, anno 535.

22 Ἤτοι ςρατηγȣ̃ 6. *Eclog.* 11. de provocatione Prætoris Paphlagoniæ vel Honoriados porrecta, & de aliis provocationibus in diverſis provinciis porrectis. Jul. *conſt.* 25. & *conſt.* 28. *de off. præt. Paphlagoniæ.* 23 Solinus, Paphlagonia inſignis loco Heneto, a quo (ut Cornelius Nepos perhibet) Paphlagones in Italiam tranſvecti, mox Veneti ſunt nominati. Solinus 6. 46. Plin. 6. *cap.* 2. Quo loco, inquit, Henetos adjecit Cornelius Nepos, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi poſtulat. Henetorum etiam meminit Liv. 1. *decad.* 1. *in princip.* Strabo 5. 24 Auſonius tamen *in claris urbib.* Aquileiam nonam facit. *Non erat iſte locus: merito tamen aucta recenti, Nona inter claras Aquileia celebris urbes Itala ad Illyricos objecta colonia montes, Mœnibus & portis celeberrima.* 25 *Nov.* 28. 26 *Nov.* 8. *c.* 8. 27 Pruſias metropolis olim Bithyniæ, condita a rege Pruſia, eo ſcil. qui Annibalem recepit: vide Strabon. 12. 28 Claudiopolis, metropolis Paphlagoniæ. olim Cythinis. Dion. *in Adrian.* 29 Id eſt, non utile eſſe duximus. 30 6. Plin. 2. Inde concilium Gangrenſe, tempore Sylveſtri Papæ. 1. *tom.* 1. *conſ. diſt.* 15. *c. Annotatio.* unde dicta, vide Strabon. *lib.* 12. 31 Quæ antea Eupatoria dicebatur, condita a Mithridate. Solin. 47. & 2. Plin. 2. 32 Olim Seſamum oppidum, 6. Plin. 2.

non confundantur. Et una de cætero fiet provincia, plures [1] habens Metropoles, id quod & in aliis quibusdam noſtris exſtitit provinciis.

CAP. II.

ENimvero qui totius provinciæ imperium tenet (appelletur autem tota provincia, quemadmodum & ante, Paphlagonia) etiam oberrando urbes luſtrabit, nulla id factum prohibente ſacra forma olim forte ad talium prohibitionem compoſita, ſed neque *Vicarios* in locum ſuum hinc inde per urbes dimittens. Omnino enim hoc ipſum prohibemus, ſi quidem turpe eſt, ut quamdiu [2] ipſe in provincia jus reddit, interim alteri quoque vices ſuas contra legem committat. Sed ipſe omnia diſpenſabit, & publica tributa ſumma cum animi promptitudine profligabit, neque plus neque minus exigens. Juſtitiæ præterea conſentaneam æquabilitatem retinens, ſimul providentiam adhibebit, ut ſi quid damni fiſcus acceperit, id corrigat: ſimul urbes illæſas tam publice quam privatim conſervet. † Annonam quoque, quam uterque prius magiſtratus habebat ſurgentem in ſeptingentos vigintiquinque aureos capiet: tum adſeſſorem habebit, qui ſeptuaginta duos ferat aureos: & cohortem unam ex ambabus compoſitam, procedentem usque ad centum virorum numerum, & quadringentos quadraginta ſeptem aureos & tremiſſem percipientem e publico. Cumque gratis [3] officium ſuſcipiat, gratis item hoc ipſum obeat. Nos enim in hac quoque parte ſubditos noſtros redimemus, & his qui ex conſuetudine per [4] occaſionem ſuffragii (ut vocant) *aliquid percipiunt*, dabimus ipſi, hoc nimirum illis per thronum tuum erogantes ex publicis ejus provinciæ tributis: neque patiemur, ut ſub ſpecie & velamento auctionis ſubditi noſtri in ſervitutem adigantur. Neque enim nos, qui deceſſorum noſtrorum collatores a Barbaris ereptos, ad veterem libertatem reduximus [5], committemus, ut qui nobis ipſis ſemper addicti fuerunt, aliis ſerviant: quin potius Deo, qui multis per nos gentibus libertatem elargitus eſt, ſubditorum noſtrorum usque novis auctionibus oppreſſorum libertatem (quoad ejus fieri poteſt) quaſi donarium aliquod offeremus: neque oblædentes eos qui jam accipiunt (introducemus enim ſolitam illis ad hoc ſecuritatem) neque item permittentes, ut datæ pro officio pecuniæ nomine magiſtratus, quaſi mancipium aliquod ſubditos noſtros vendentibus coëmant, & revendant injuriam inferentibus. Eſto igitur inter Pontici tractus provincias & hæc una, duplex [6] antea (haut ſcimus qua de cauſa) facta, appellabuntque (ut diximus) eum qui provinciæ præerit, Prætorem Paphlagoniæ Juſtinianeum, licebit autem Græca ipſum lingua etiam Strategum [7] appellare.

CAP. III.

PRæterea ſemper illi in memoriam rediges jusjurandum, cujus interventu officium ſuſcipiet, *ut puras manus neque turpi lucro ſordidas habeat, ut fiſci commoda juſtis & undique inculpatis acceſſionibus augeat, ut ſubditis noſtris æquitatem & juſtitiam impertiat, tam in cauſis publicis, quam privatis*, ſive contrahant, ſive judicio inter ſe contendant. Urbes autem absque læſione ſubditorum luſtrabit, & ut neque ipſe, neque Adſeſſor, neque quod ipſum ſequitur famulitium, ſive ex militibus, ſive ex cohortalibus, ſive ex ſervis, aliquid lucretur, aut gratis ſumptus faciat. Oportet enim ut tam ipſi ex iis annonis quæ porriguntur ipſi e publico, ſumptus faciant cum conveniente mediocritate agentes vitam, quam milites, qui ipſos comitantur, cognoſcant, quod ſi non ſuis contenti annonis iter faciant, ſed collatores noſtros auſi fuerint tentare injuriis, aut damnis involvere, aut gratis ſumptus facere, collatoribus indemnitas futura eſt ex ipſorum annonis, per eum qui magiſtratu defungitur, ut ipſe tam eas repetat, quam etiam ex illis ſuo periculo collatoribus indemnitatem aſſerat.

CAP. IV.

ATque hæc ſane lex nobis de Paphlagonibus poſita eſto, honoratiorem illis magiſtratum efficiens, ut qui inter *ſpectabiles* [8] numeretur, præbens ipſi auctoritatem tam in provinciales milites, (quatenus tamen juſte eis præcipiat) quam etiam contra alios, nullis ejus provinciæ hominibus privilegio uti queuntibus, ſive majores, ſive minores, ſive etiam procurationi rerum ad potentes homines pertinentium præfecti ſint. Certe quod facile per ea loca admittitur, hujus rei excellenter curam geret, ne committat, ut aliquorum prædiis *Tituli* apponantur, ullum aliud nomen habentes inſcriptum, quam vel fiſci vel regiarum domuum. Sed ſi quid tale factum deprehendat, eos quidem titulos e veſtigio detrahet [9]: fiſci vero nomine prorſus alios titulos prædiis ejus qui talia delinquit (ſi præſens hæc faciat) imponet, prius detractis titulis ad illius caput confractis. Si vero abſens ſit, prædiorum curatore comprehenſo tam corpus ejus tormentis ſubjiciet quam titulos detrahet: & in capite [10] eos curatoris prædiorum comminuet: ſciens quod ſi quid ejusmodi negligat, nos vero didicerimus ſimul aliorum, ab aliquibus impoſitos prædiis titulos hærere quam fiſci regiarumque domuum tam noſtrarum quam pientiſſimæ Auguſtæ, ſimul præſidem re ipſa comperta iſtos per negligentiam omiſiſſe, is qui hunc magiſtratum obtinet, bonorum ſuorum publicationem ſuſtinebit, ut qui cum facile pro magnitudine imperii præſens iſta prohibere potuiſſet, debita ea opera neglexerit.

CAP. V.

AD hæc diligenter ibi ipſum locorum proſpicere volumus, ut omnes qui *latrocinia* [11] *exercent*, qui alienas ſubſtantias aut etiam uxores rapiunt, qui alia denique patrant crimina, perſequatur, comprehendat, & competentibus ſuppliciis ſubdat, & omnem prorſus injuſtitiam reprimat: neque committat, ut in aliquo probiores & manſuetiores injuriis afficiant, ne aliis denuo talium perſecutoribus opus habeamus, cogamurque rurſus violentiarum repreſſores, latrunculatores [12] & alia id genus tolerare nomina ſimul & negotia quæ nos adverſati ipſum ad hunc ordinem produximus, & ita amplum dignitatiſque plenum magiſtratum effecimus, ut tam appellationes apud ipſum cum judicat, interpoſitas ad excellentiam tuam, quique eundem unquam magiſtratum ſuſceperint, & celeberrimum quæſtorem ſacri noſtri palatii, qui in forma conſultationis audientiam iis accommodabunt, quam minores cauſas quingentis ſolidis, in provincia ejus apud aliquos non ſpectabiles motas, & ſi ex delegatione ſint, quæ per provocationem ſuſpenduntur, ad ſe deducat in habitu, & ordine ſacri auditorii, & ut ipſe inter a nobis inventos, & in ampliorem formam redactos magiſtratus ubique connumeretur. Siquidem & ipſi majores erunt, & in majore quam priores reputatione habebuntur, & facilius nobis vel in majoribus negotiis ſuum exhibebunt miniſterium. Nihil enim in parvo [13] magnum exiſtere, tum a nobis dictum eſt majoribus, tum nos etiam ex ipſis judicavimus probavimuſque factis. Subjicietur autem & huic legi deſcriptio [14] quæ ſignificet, quid e publico tam is qui provinciam regit, quam adſeſſor & cohors ejus accipiet, quo item dato magiſtratus codicillos percipiat.

§. 1. Ipſa ſane ratio qua magiſtratum geret, cum hoc loco ſub compendio explicata eſt, tum in lege quæ de omnibus magiſtratibus ſcripta communeque deſcripta eſt, ſimul & ex mandatorum ſuorum libris [illegible] ei dabimus cum adminiſtrationis codicillos conferemus, & jusjurandum ſecundum legem noſtram in hoc conſcriptam exigemus, manifeſtabitur.

EPILOGUS.

† Hæc igitur omnia perdiſcens excellentia tua, & tam magnas illi annonas ſubminiſtret, & ita ipſum ſciat amplæ dignitatis effectum, ut floris & dignitatis hoc a nobis tempore in illum collatæ cupiditate merito multis ipſum conſequi ſit affectabile.

TIT. IX.

DE PROCONSULE [15] CAPPADOCIÆ [16].

NOVELLA CONSTIT. XXX.

Imper. Juſtin. Auguſtus Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUam amplum nomen [17] Cappadocum gens habeat, & quanta Romanis negotia exhibuerit, priuſquam in illorum ditionem redigeretur, non ignorant veteris eruditionis ſtudioſi. Certe olim totius ferme Ponti imperium tenuit, & nominatiſſimi viri, inque magna apud Romanos reputatione habiti inde orti *valde floruerunt*. Terram præterea habet diffuſam admodum, & mirabiliter præſtantem, & quæ ita majeſtati imperatoriæ placuerit, ut etiam poſſeſſionibus quas illic habet, peculiarem magiſtratum præficerit, non minorem civili, *ſed potius majorem*. Siquidem & populoſiſſima eſt, & urbem maximam præbet ejuſdem cognominis cum clariſſimo nobis Cæſare [18], qui ſummo orbis terrarum arbitrio, a quo nos obtinemus, [illegible] dedit principium: qua etiam de cauſa apud omnes terræ populos nominatiſſimum Cæſaris nomen eſt, & nos præter omnes alias imperatoriæ majeſtatis notas eo gloriamur.

CAP. I.

HAnc ſane regionem parvo tradere magiſtratui contra omnes nobis decorum & dignitatem fore viſum eſt, cum alias tum vero maxime, quia ſemper ipſam adverſus magiſtratum [illegible] ditiones movere cernimus, & qua factionibus [19] inter ſe diviſa eſt civitas, quarum alteram *Tamiacam* [20], quaſi fiſcalem & ærariam: alteram *Eleuthericam*, hoc eſt liberam appellant: & cum exiſtat ambitu murorum una, duplex eſt ſententiis. Unde & ſeditionum & diſſenſionum occaſiones, & ſi quid omnino mali fatigat homines, (ut nos arbitramur) ex hac provenit cauſa: qua ſublata, [illegible] negotio addemus, qua [21] nihil unquam inter homines præclarius exiſtit, & præſtantius. §. 1. Ac cum aliis magiſtratibus, quos neque inter Piſidas [22], Lycaonas [23], Thraces [24], inſtituimus, adminiſtrationis forma & acervus ex duarum rerum congreſſu conſtitit: tum vero majore hunc forma adornare cupientes, tertiam etiam poteſtatem illi adjicimus. Nam is quem huic præficiemus officio non ſolum præſidebit legibus, & univerſæ cohorti civili: ſed etiam prædiebit militibus, tam qui in præſidio regione, quam qui in aliis Pontici tractus provinciis, in quibus Tamiaca [25] exiſtunt prædia, ſtationes habent, perinde quali per ea loca ſuper militibus Comes fuerit poſitus. [illegible] illis in hominibus [26] Tamiacos imperio poſitus fit, [illegible] mitianam prius cohortem pertinebant: [27] & omnes quicunque ad Comitianam genus aliud fuerint, hiſce obtemperabunt: & triplici [28] forma conſtitutam habebit magiſtratum: ſiquidem & civilis magiſtratus erit & militaris, & neque non Tamiaci [illegible] tam Comitiana, quam & ſua conficiet, neque aliis illi cohorte commercium, quam clariſſimi provinciæ præſidis apparente. Univerſam vero proconſularem fieri appellari ejus volumus: utraque cohorte, tam quæ Comitiana prius, quam quæ civilis vocabatur, unam appellationem (nempe proconſularem) [illegible] obeunte munera: ut civilis quidem curet tributaria & civilia, quæ initio ſemper fere ad ipſam pertinuiſſe ſcimus. Quæ vero Comitiana prius cohors erat, imperialium rerum adminiſtrationi inſiſtat, & exactionem conficiat, ea ſcilicet forma quam modo explanabimus.

1 Dixi ad *Nov.* 28. *c.* 8. 2 Præfectis, vicario non eſt opus. 3 *Nov.* 8. *c.* 1. *Nov.* 17. *c.* 1. 4 Προφάσει τῆ καλȣμένȣ σȣφφραγίȣ. vid. *l. unicam Cod. de ſuffragio.* 5 *Nov.* 28. *c.* 6. 6 Prætor Paphlagoniæ duplicem habet poteſtatem, Paphlagoniæ ſcilicet & Helenoponti. 7 Strategum Paphlagoniæ obſerva. 8 Prætor Paphlagoniæ ſpectabilis. 9 *Nov.* 28. *c.* 5. §. 1. 10 Pœnæ genus obſerva: titulum injuſte adfixum alicui prædio, in caput curatoris ipſius prædii infligi & comminui. adde *Nov.* 28. *cap.* 5. §. 11 *d. Novell. c.* 6. 12 *Novell.* 8. *c.* 13. 13 Μηδὲν ἐν μικρῷ καθεςάναι μέγα. 14 Απογραφὴ, notitia.

15 Præſidem vocat *Nov.* 8. *c.* 15. §. 24. & 25. *Nov.* 20. *c.* 2. ubi fit mentio præſidis Cappadociæ primæ & ſecundæ. Veſpaſianus Conſularem Cappadociæ rectorem impoſuit pro equite, & legiones addidit propter aſſiduos Barbarorum incurſus. Sueton. *Veſpaſiano c.* 8. 16 Περὶ τȣ̃ ἀνθυπάτȣ Καππαδοκίας. Scrimg. & 6. *Eclog.* 15. De officio proconſulis Cappadociæ, vide Jul. *cap.* 85. 17 *Novell.* 20. Cappadoces ſuo tempore imperium aliquod habuerunt, Medis poſtea ac Perſis paruerunt. *Herodot. Xenoph.* victi a Philippo. *Juſtin. Oroſ.* De regibus Cappadociæ, vid. Diodor. 31. adde Strab. 12. [illegible]

CAP. II.

CUratorum [1] etenim & tractatorum [2] ne nomen quidem omnino ſupereſſe volumus, reſpicientes ad vetera exempla, & nimiam læſionem quam miſeris illi collatoribus induxerunt, ſed per ſingulas domos, & totius Comitianæ cohortis, tredecimque [3] primatium, quos primos [4] & ſecundos magiſtros vocant, periculo, alios tredecim, qui ſtatim poſt illos ſeparati ſint, nominari volumus, ſingulos (ut dictum eſt) ex ſingulis ædibus: & poſt priores tredecim exactioni incumbere, & ſervare fiſco quæ ſua ſunt: proſpicere item collatorum indolentiæ, & ne quid ab aliquo ipſorum damni ſuſtineant: ſcientes quod damnum ex cauſa collatoribus irrogatum, multo magis ipſorum facultates reſpiciet, cum totius publicæ exactionis periculum ad ipſos devolvatur. Sed neque eos qui primi & ſecundi prius magiſtri vocitabantur, neque tredecim illos qui poſt ipſos modo ſeparati ſunt, quos profligationem [5] tributorum facere ſanximus, quidquam omnino ſpectabili pro tempore Proconſuli præbere vel nominationis titulo, vel quacunque alia de cauſa: ſi quinquageni ſolidi aurei ab unoquoque horum tredecim exactorum primoribus tredecim magiſtris præbeantur.

CAP. III.

POrro neque ipſos exactores [6] amplius aliquid a ruſticis aut denique iis qui ab iis exactionem tolerant, accipere, quam quæ *formis* [7] *Nicetæ* magnificæ memoriæ continentur, & exactoribus deputata ſunt, nequeuntibus ipſis nomina fingere & damna pro hiſce nominibus inducere per cauſam *Aſpacticon* [8], ſeu tractatoriarum, vel quocunque alio prætextu, ſive ad aliquam conſuetudinem, ſive ad quamcunque vexationem porrigatur: cum enim ab omnibus illis collatores noſtros liberos conſervari volumus, tum improbo etiam & pernicioſo tributo eos liberamus, quod pendebant tractatoribus, per quod fiebat ut circa publicum, & ſuas deſcriptiones idonei non eſſent. quin & ſi forma aliqua ſit pragmatica, quæ velit tractatoribus aliquid præberi, aut longa conſuetudo: etiam hanc tollimus. ſublato enim ipſo nomine tractatorum merito quidquid ad eam cauſam pervenit una ſuſtulimus, ſpecialem hanc collatoribus noſtris largitatem impartientes. Quod ſi quis exactorum præter ea quæ forma beatiſſimi Nicetæ definita ſunt, quæ ſola ipſos ferre concedimus, aliud quiddam auſus fuerit accipere: ſciat tam militia ſe, quam dignitate & ſua ſubſtantia caſurum.

CAP. IV.

QUoniam vero fieri poteſt, ut inter tredecim exactores (ſiquidem ut gradatim [9] ad hunc perveniant ordinem, ſancimus,) unus aliquis ad expediendam exactionem idoneus non ſit: concedimus, ut ſic quoque reditus quidem ex eo gradu ſalvus illi permaneat. Cæterum ſancimus, ut tredecim illi primores magiſtri, & inſuper qui poſt ipſos ſunt proximi proprio bonorum ſuorum periculo alterum quempiam illi *Adjutorem* adnominent, qui convenienter pro illo exactionem expediat: ut neque per illius imbecillitatem injuria afficiatur fiſcus, neque ille temporis & gradus ſui ſolatio defraudetur, promotione videlicet adjutoris ejus, qui ad hoc munus idoneus non eſt, facienda, periculo (ut dictum eſt) tredecim primorum magiſtrorum, & aliorum qui poſt illos ſunt proximi. Ac magnas merito nobis gratias publicorum tributorum exactores [10] habere oportebit, qui ingentibus illis damnis quibus antea tam magiſtris quam ſpectabili pro tempore comiti, ejusque cohorti obnoxii erant, eos liberaverimus, propterea autem hiſce omnibus eos liberavimus, ut neque ipſi collatores noſtros injuriis opprimant, neque [11] prætextus excogitent introitus illos aut aliter nominantes, quibus ruſticorum facultates enervent: ſed his ſolis contenti quæ ſecundum formam Nicetæ claræ memoriæ curatoribus præbebantur, omnibus aliis abſtineant.

CAP. V.

IPſi vero ſpectabili proconſuli omnium ex æquo rerum cura imminebit, ſive civile aliquod ſit, ſive ad militarem magiſtratum, ſive ad poteſtatem Tamiacam reſpiciat, neque quidquam omnium negliget. Ac quoniam majorem huic loco, quam cæteris magiſtratum attribuere volumus, & veteribus Romanis in more fuit, ut vel deſignatis conſulibus, vel his qui illorum loco proficiſcerentur, quos proconſules vocitabant, provincias ſortirentur: propterea & Cappadocum magiſtratum proconſulatum eſſe volumus, quo in Africa [12] prius Romani imperium ſuum exornarunt. Et in tantum illum nos magiſtratum auximus, ut eum qui hunc ſuſcipit, glorioſiſſimis ſacrorum noſtrorum prætoriorum præfectis connumeremus. Appellatorque patria [13] lingua is qui huic præſidet, *Proconſul Juſtinianeus Cappadociæ*, ut & appellationem magiſtratui propriam habeat, & ſimul ex re ipſa archegetes [14], quaſi primarius magiſtratus nominetur: ſuſceperit enim is qui hunc magiſtratum obtinet facile talem formam, quando & poteſtatem per ſe magnam, & per cauſam Tamiacæ poſſeſſionis etiam ad alia loca, protenſam habeat. In ſumma tot rebus hominibusque præſidens dignitate & auctoritate affluet, adjunctisque militaribus copiis omnia diſponet minore negotio. Civiles igitur res conficiet more ſolito: militaribus vero & ipſis commode præibit, nempe & illis ſe ipſi ſubmittentibus. §. 1. Sed cum primis animum advertito ad rerum Tamiacarum adminiſtrationem, quæ in tam gravem & omnium cauponationibus expoſitam inopiam delapſæ ſunt, ut in nullo fere amplius pretio exiſtant. Tot tantaque enim edocti ſumus per provinciam delinqui quæ vix ampliſſimo cuique adhibita medicina curare facile eſt. Nam qui potentium poſſeſſiones procurant (ſed pudet nos jam propemodum dicere) quanta cum inſolentia paſſim oberrant, ut ſtipatores [15] illis inſerviant, ut non ferenda hominum multitudo ipſos ſequatur, ut impudenter omnes latrocinentur: miramurque ſedulo, quomodo eo loci ſubditi, tot perferendis injuriis ſuffecerint. Inde adeo quotidie Cappadocum injuriis oppreſſorum multitudo occupatos nos & rempub. tractantes adit, ex quibus multi ſacerdotes, plerumque mulieres, qui omnes lamentantur, queruntur que res ſuas ſibi ablatas eſſe, quando nemo in proximo ſit, qui hujusmodi prohibere valeat. Tamiaca [16] certe poſſeſſio jam [17] pene in formam privatæ redacta eſt, tota convulſa, direptaque una cum ſuis equitiis [18], nemine omnino reclamante, ore ſcilicet ipſis auro obſtructo.

CAP. VI.

HIs igitur de rebus unum aliquem ex perſpectiſſimis nobis regioni huic præficere decrevimus, qui triplici [19] huic ordini præſit, ſolus omne in ſe imperium & poteſtatem circumferens, civilis officii utens inſignibus, habens in uſu vehiculum [20] ex argento, ſecurim, faſces, & quæcunque olim proconſularis imperii fuerunt inſignia: præcipiet autem & militibus & curam geret Tamiacorum redituum, ut ſine ullo detrimento & ceſſatione omnibus ad hoc ordinatis magiſtratibus obveniant, multoque magis ad noſtrum palatium, quemadmodum etiamnum occaſione eorum quæ vel nobis, vel ſacratiſſimæ & pientiſſimæ Auguſtæ conjugi noſtræ inferuntur, tam in auro quam veſte ingrediantur: nihil enim illinc volumus decedere. §. 1. Non tamen ut ea forma præbeantur, qua hactenus, ex rapinis ſcilicet, & ex titulo læſionis dationisque collatorum, (hæc enim omnia tum odio proſequimur, tum e noſtra ejicimus republica) ſed ex juſtis legitimisque cauſis, quas ſubjici ſacræ huic noſtræ legi juſſimus, ut eas ferens is qui pro tempore hunc gerit magiſtratum ſacratiſſimæ Auguſtæ conjugi noſtræ *quinquaginta* auri libras, prout dictum eſt, inferat. Magiſtratum etenim gratis nos creamus: & ordinationes ejus absque omnibus procedere largitionibus ſancimus: neque quisquam erit, qui pro hac quidquam capiet. §. 2. Sed & annonas quidem ad viginti usque auri libras damus, prout ſubjicitur: adſeſſori vero ejus præbemus ad duas auri libras: capiet item utraque cohors id quod usque adhuc e publico ſuppeditabatur, nullo prorſus modo deminutum: nulla enim re hunc magiſtratum minuimus: & maxime [21] glorioſiſſimi præpoſiti ſacri noſtri cubiculi [22]: ſi quidem & hunc & ſuppoſitam ipſi devotiſſ. Palatinorum ſcholam in Cappadocia ſimili cum poteſtate, ordine & figura manere ſancimus: non tamen quicquam exinde ferentem vel conſuetudinum vel annonarum titulo, vel in auro, vel in veſte, vel in aliis ſpeciebus, neque a *ſpectabili* pro tempore proconſule, neque ab ejus cohorte: nam aliter puritas conſervari nequeat, ſub unum enim magiſtratum, quidquid in ea regione geritur, contrahimus, ne convulſione ipſa claudicet.

CAP. VII.

SAne Tamiacæ poſſeſſionis curam [23] & rationem magnam habebit is ipſe, qui ad hoc a nobis officium proficiſcitur: & circumſpiciet, ſi quid e Tamiaco ſolo detractum, & fruſtra ab aliis detentatum ſit, ſive [24] in paſcuis, ſive in arvis, ſive in locis vitibus conſitis, ſive in prædiis, ſive domibus, & vetus ſolum rebus ſuis vindicabit, nulla longi [25] temporis præſcriptione illi opponenda, neque [26] enim fiſco licet tale quid opponere, neque lucrum captans, ut maxime patrimonium ſuum exinde collocupletet: nam depauperatio [27] potius eſt, quam locupletatio, ſi quis ſordidis utendo manibus arbitretur ex eo lucrum ſe facere, quod multifariam cum impietate & ſummo probro reſtituet [28].

§. 1. Sed & ipſam urbem ab omni prorſus perturbatione quietam conſervabit, neque committet, ut ſeditio [29] aliqua ordinem & adminiſtrationem reipubl. corrumpat. Publica quoque tributa [30] vigilanter & cum juſtitia exiget, nihil in illis curæ prætermittens, neque concedens, ut aut fiſcus, aut privati in aliquo circa res ſuas damnum ſentiant: ut qui ex æquo in omnes imperium obtineat, ſive milites ſive ſcriniarii ſint, tam glorioſiſſimorum præfectorum, quam magnanimorum magiſtrorum militiæ, ſive in civili cohorte numerentur, ſive cingulum Tamiacum geſtent, ſive in majoribus ſive minoribus dignitatibus conſiſtant, ſive inter ſacerdotes cooptati ſint. Unus enim hic magiſtratus omnibus præficietur: & tam ſuæ ipſius exiſtimationis, quam noſtrarum legum, & ante omnia Dei memor, ut publica quidem tributa per proconſularem cohortem ſine detrimento & ceſſatione importentur, curabit: reditus vero Tamiacos per ſubditas prius illi throno perſonas inferet, intendens etiam ad ea quæ pro conſuetudine præcipiuntur a glorioſiſſimo præpoſito ſacri noſtri cubiculi, nequeuntibus ipſis canonicariis [31], qui pro tempore a glorioſiſſimo præpoſito emittuntur, vel ſaltem obolo tenus aliquid accipere, vel conſuetudinum nomine, vel quacunque alia de cauſa, vel [32] ab ipſo pro tempore ſummario [33], iisve qui publicas exactiones conficiunt, vel a ſpectabili proconſule, vel ejus cohorte, vel his qui *Kataſceuaſtæ* [34], quaſi inſtructores, vocantur, vel præpoſitis, vel quacunque alia perſona ad ſacrum noſtrum pertinente patrimonium. At vero exercitu utrique harum ſolicitudinum opem feret, ſedabitque potentium ſatellites, neque committet ut loca depopulentur, & latrociniis infeſta reddant: neque ipſe ea percurret, quemadmodum prius facere ſolebant comites. Ne-

1 Epitropi & tracteutæ non ſint. Julian. 2 Τρακτευτῶν, Tracteutæ *Nov.* 128. *cap.* 24. *in fin.* Jul. Dicuntur etiam tractores, *l. ult. C. de executorib. lib.* 12. & παρακομιςαὶ Gloſſariis, curam eos egiſſe τῆς εἰς πράξεως τῶν δημοσίων Φόρων liquet. Tractores ergo ſunt, qui tractant & adminiſtrant prædia fiſcalia, Briſſonius. Sed tamen Cujacius *ad l.* 3. *C. de canon. largitional. tit.* tractatores & chartularios pro iisdem dici notat. Quid tractatoriæ, vid. *Cod. de tractatoriis & ſtativis*, *l.* 12. *tit.* 52. 3 Tredecim magiſtri. 4 Primi & ſecundi magiſtri. 5 Ανυσιν. 6 Canonicarii hi mittebantur a præpoſito, Julian. *hic in fin. & n.* 86. *in fin.* 7 Τοῖς τύποις. Formæ ſunt velut Edicta vel leges præfectorum prætorio. 8 Ασπαςικῶν τὸ ἕνεκεν ἢ πρακτευτικῶν. ἀσπαςικὰ, ſalutatoria. 9 Gradatim honores deferendi *ut hic l. ut gradatim.* 11. *ff. de muneribus.* appellationes quoque gradatim faciendæ, hoc eſt, ab imis per medios ad eos, qui ſummi ſunt, judices. *Nov.* 23. *c.* 4. *in fin.* Gradatim ita præſtatur, quod familiæ relictum eſt, *l. ſuggeſtioni.* 5. *C. de verb. ſign.* 10 Δημοσίων πράκτορας. 11 Μηδὲ τὰς προφάσεις ἐκείνας ὡς εἰς ἐπήρειαν ἐπινοȣ̃ντες, Introitus τε ϗ̀ ἑτερα ὀνομάζοντες, neque occaſiones illas in damnum excogitantes introitus, aut ſimili alio nomine appellent. 12 Id eſt, Carthagine, quæ, ut Sextus Ruffus ſcribit, prima fuit proconſularis provincia, & ſimpliciter *proconſularis provincia* cum dicitur, hæc dicitur, & *proconſul* quoque per eminentiam, Africæ proconſul. Vid. Cujac. *hic.* 13 Id eſt, Latina. *Nov.* 22. *c.* 2. 14 Hæc verba, quæ ſequuntur, ſunt interpretis, ἀρχηγέτης princeps, ἀρχηγετεύω, ἀρχηγετέω, ἀρχηγετόω. 15 Δορυφόροι. 16 Id eſt, res patrimoniales principis. 17 Tamiacæ poſſeſſiones a forma rerum privatarum differebant. 18 Equitia, ἵππων ἀγέλαι, equorum armenta & greges. Cappadocia altrix equorum & proventui equino accommodatiſſima. Solinus *cap.* 47. *Jam paſcua fumant Cappadocum, volucrumque parens Argeus equorum.* Claudianus 2. *in Rufinum.* Argeum autem montem præruptum Cappadociæ intelligit, de quo Solinus *d. loco.* 19 Suſtinet enim munus duorum olim præſidum Cappadociæ, & comitis domorum in eadem Cappadocia. 20 Οχημά τ' ἐξ ἀργύρȣ, carrucam argenteam, Jul. *hic n.* 85. §. 2. adde *Nov.* 24. *c.* 4. 21 Cubiculariis regum vel principum hæc notanda ſunt, nam ſi quæ privilegia minui oportebit, cubiculariorum principis privilegia poſtremo loco minuentur. 22 Τῶν θείων ἡμῶν κοιτώνων. hoc ideo dicitur, quia deputati erant Tamiaci reditus cubiculo & cellario ſacro, id quod proprie ταμεῖον eſt. 23 Vid. Julian. *hic*, *n.* 86. 24 Nota in quibus conſiſtebant prædia Tamiaca. 25 Temporis prolixitas publico non nocet. Jul. *hic.* 26 *l.* 6. *C. de oper. publ.* 27 Ελάττωσις. 28 Non ita turpe eſt non locupletari, quam male accepta reſtituere. 29 Seditiones a præſidibus provinciarum compeſcendæ, *l.* 13. *ff. de off. præſid.* 30 Ut tributa juſte exigantur, ad notionem præſidum pertinet. 31 Id eſt, actoribus. 32 Παρὰ τȣ̃ κατὰ καιρὸν συμμαχίȣ. 33 De ſummariis dixi *c.* 1. *ſupr. hic.* 34 Κατασκευαςῶν.